

Majores duri sunt, ideo concoctu difficiles: sanguinem procreant crassum, succumque non adeo bonum: copiose tamen alunt, et ventrem urinamque cient.

Plin. H. N.
l. 32. c. 9.

In *Medicina*, easdem cum Musculis facultates habet. Carnes ad canis morsum valere scribit Dioscorides, sed repugnat Galenus. Juri multum Plinius tribuit. Myacum jus, inquit, traditur alvum et vesicas exinanire, et interanea distringere, omnia adaperire, renes purgare, sanguinem adipemque minuere. Itaque utilissimi sunt hydropicis, mulierum purgationibus, morbo regio, articulari, inflationibus etc. Concha ad excipiendum oleum loco cochlearis utuntur.

Differentiae.

Differentias aliquot apud autores invenias. Sunt enim, si locum spectes, alii *Marini*, alii *Fluviatiles*. Hi marinis sunt similes, in eo tamen differunt, quod minores sint, subrecti appareant, atque humi pinnae modo infigantur. Sedem non mutant, grandi hiatu suas testas pandunt, easque referatiles et clusiles, tenues, intus glabras, pictorum coloribus accommodatissimas habent. Gustus sunt ingra-

ti. *Marini*, ut Bellonius habet, villos extrorsum habent more pinnae, ab ea testae parte qua scopulis haerent, per quos alimentum exsugunt, atque arenas et marina dejectamenta attrahunt. Cancrum pinnae modo in concha nutrit, orbicularem, parvum, suis sic membris absolutum, ut et incedat et alatur, et ova excludat grandi lente multo majora et crassiora; humi accumbant, cum tamen glandes sive muscoli adhaerendo pendeant. Differunt et magnitudine, rotunditate, et gustu. In majoribus cancelli, ut dixi, nascuntur cancelli. Salem virusque resipiunt quidam. In eo vero a caeteris ostracodermis differunt, teste Aristotele, quod tenuia labra habeant. De magnitudine trium vel quatuor heminarum, quod apud Plinium legitur, nil dico. Videtur hoc Phocae vel Lepori marino competere, vel in genere conchis debere adscribi.

Arist. H. A.
l. 4. c. 4.

Aldrovandus plura earum genera cum Iconibus exhibuit, inter quae est Castaneus, Niger cum tuberculo adnato, alter cum striis flavis. Fluviatilium alium majorem, alium minorem dedit.

PUNCTUM VI.

De Tellinis.

TAB. XV.
Aldrov. l. 3.
c. 72.
Nomen.

Tellinarum nomen Athenaeus Latinarum mytulis tribuit, Plinius pectunculis illa, quae Tellinis a Dioscoride adscripta sunt. Nos hic illas intelligimus, quas moderni Graeci *ξιφύδρια*, Lesbi incolae Chinades, Galli Narbonenses et Romani Tellinas, *ὅτι τάχιστα γίνονται τέλειαι*, quod ocyssime perficiantur, Veneti Capparazole, sive Capparole, a capparis similitudine, appellant.

Descriptio.

Descriptio inter differentias quaeratur. Non tantum in mari, et portubus undis agitatae degunt, sed et fluviis. Locis vero arenosis maxime delectantur.

Ufus.

In *Cibis* laudem prae caeteris testatis meruere. Plus succi habet earum caro, quae etiam reliquarum carne mollior. Recentes, secundum Dioscoridem, stomacho sunt utiles, sed

maxime jus earum. Elixas, dulces esse, earumque jus alvum solvere Oribasius prodidit. Venetiis, Genuae, et Romaerustici in faccis per urbem circumferunt, quas modiolis divendunt. Cum enim exiguo corpore (verba sunt Bellonii) content, nec facile aperiantur, gustuique gratae sint, mirum in modum ob id expeti bellariorumque loco assumi solent, inprimis, si ab arena optime repurgatae fuerint. Marinae inprimis, et in his tenuiores, quae Athenaeo Basilicae commendantur; et quod Castor Durantes ventriculo noxias esse scribit, de fluviatilibus forte sumendum est. Sitim certe istae excitant, calculosque gignunt: Oribasius tamen majores esse, et plus succi habere, Aegyptias inprimis, scribit. Clausae sale sparguntur, et per testas humorem trahunt.

Oribas. 2.
Coll.

Durant. in
Thesauro
sanit.

In